



SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577


De duabus Christi voluntaribus, Perionio interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

D. IOAN. DAMASCENI

DE DVABVS CHRISTI VOLVNTATIBVS & ACTIONIBVS, RELIQUISQUE NATURALIBVS PROPRIETATIBVS. PERONIO INTERPRETE.

Hic Tractatus in omnibus editionibus, excepta postrema Basiliensi, cum sequenti opusculo cohaerebat. Quoniam tamen in Graeco distinguuntur, nos quoque distinximus. Cum autem in Perionij translatione multa loca offendifsem, in quibus mihi Authoris sententiam assequi minime videbatur, nihil alienum me facturum arbitratus sum, si ea ad vtriusque Tractatus calcem annotarem. Hoc enim mihi modestius visum est, quam si correctiones eas in textum induxisseni: Et item humanius & candidius, quam si de integro vertissem. Agit autem hic Damascenus aduersus Monothelitas, hoc est eos, qui vnicam duntaxat in Christo voluntatem fuisse contendebant. Cuius erroris Authores fuerunt Cyrus Sergius & Eustathius, qui sub Agathone in sexta Synodo damnati sunt. Vide lib. 3. de Orthodoxa fide, capit. 14. & 15.

A  **VI** duas naturas & vnā personam in Domino nostro Iesu Christo esse profitentur, ij certē duplices easque diuersas naturarum, simplices autem personae naturales proprietates profiteri debent. Fieri enim non potest, vt natura constet sine iis proprietatibus, quae ei sunt naturales, quaeque eā efficiant, atque à cæteris naturis distinguant, quaeque vniuersa nunquam in alia specie esse dicantur. Fieri rursus non potest, vt vnus eiusdemque naturae proprietates, quae eam efficiunt, & à cæteris personis, quae eiusdem sunt generis, secernunt (personales dico proprietates, quae attributa & aduentitia moris est vocare his, qui in his rebus docti sunt) vniuersae in alia persona reperiantur. Omnis res, quae ex duabus naturis constat, naturarum illarum proprietates necessariò complectitur, etiamsi in earum coniunctione quaedam videatur esse confusio. Nam cum ignis calidus & siccus sit, aqua frigida & humida: tamen cum ex quatuor elementis conflatur corpus, quatuor habet qualitates, calorem, frigus, siccitatem, & humorem. In quibus si temperatio quaedam spectetur, necesse sit eorum quae concreta sunt, naturales proprietates perspicere: quanto magis in ea coniunctione, quae ab omni confusione abest, distatque plurimum? Natura enim cum naturae comparatur, tum alia ab alia natura, & species à specie essentialibus naturalibusque distinctionibus differre dicitur. Similiterque cum hypostasis hypostasi eiusdem generis comparatur, distare inter se dicuntur, sibi insignitis proprietatibus: non tamen hypostasis hypostasi diuersi generis vt hypostasis, comparatur. Nam si Petri quauis proprietates hypostaticae cum hoc equo conferantur, eum à natura potius, quam ab hypostasi, separabunt. Neque enim certum hominem à certo equo differre dicimus, quod hic caluus sit, ille benè comatus: nec quod ille longus, hic sit brevis: sed quod ille rationis est cōpos, hic expers: nec quod hic huius, ille illius sit filius. Sin hūc Nestoris filium, illum equi foetum esse dicamus, atque alterum sapientem, alterum sapientiae expertem: iam naturales differentiae distinctionesque statuuntur. Hominum enim hypostaticae, id est quae singulos homines attingunt, distinctiones, cum equorum differentis hypostaticis collatae, naturales habentur. Itaque in Domino nostro Iesu Christo, corporis statura vultusque atque oris lineamenta, & eius ortus ex virgine, si ad eum ortū, quo à Deo Patre est sine vlla essentiae diuisione editus, referatur, non ad personas, sed ad naturas separandas, pertinebunt. Nam: quod ex duabus naturis vna persona constat, tam haec quam illa, id est, tam diuinæ naturae, quam humanae personales proprietates, ex eo eiusdem

Ooo ij

personæ hypostaticæ fiunt. Sapienter igitur vniuersitatis parens & effector plurimas naturarum, id est formarum differentias diffimilitudinisque procreauit, vt sapientiæ ac potestatis suæ excellentiam ostenderet, quod plus ipse admiratione affectus expeteretur, expectus + cognosceretur, cognitus ad diuinam similitudinem animal, quod mentis & rationis est particeps, traduceret. Ob eamque causam multas rerum species fabricatus est. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: & à magnitudine pulchritudinis creaturæ congruenter creator perspicitur. Rerum autem singularum in quaque specie tum differentiam, tum earum inter se conuenientiam effecit: ita tamen, vt conuenientia quidem sit naturarum (omnes enim res singulæ, quæ eadem speciei subiiciuntur, naturæ vi & ratione coherent) hypostaseon autem, id est rerum singularum sit differentia: distant enim inter se insignitis quibusdam impressisque proprietatibus. Quoniam enim quod vnum est, & solum, à societate & communiōne abhorret, ac insuaue est: societate autem coniungi cum iis quæ eiusdem sunt generis, iucundum & suaue: ob eam causam prima hæc & sola beata, principio carens, atque immortalis natura tribus in personis perspicitur. Ait enim ea quæ per se coherent sapientia, Ego sum quæ gaudebat Pater & Deus. Ob eamque causam non in singulis modò angelicarum virtutum ordinibus diuersas res singulas concedit, verumetiam in quaque specie: vt cum naturæ coniunctione inter se consociatæ aliæ etiam aliis voluptatem afferant, & naturali habitu & figura coniunctæ aliæ aliis & profint, & consulant. Rerum autem singularum dissimilitudo, quod cuiusque est, non toto naturæ & possessionis genere ab alieno separat: vt quisque quod suum est, dum cognoscit, id tueatur, nec in alienas opes vt in suas inuadat, vtque suum quisque statum vitamque cognoscat. Debet enim omnis, qui de aliqua re quærit, primùm quid sit cognoscere: deinde ita deum, sine vnum an duo, exquirere. Quod ego hoc tempore ad Domini nostri Iesu Christi voluntates, actiones, & reliquas proprietates, de quibus quærimus, accommodari volo. Sed quòd fieri planius, primùm dicamus, quid inter naturam & personam intersit: deinde eo cognito, facillè & quæ naturam, & quæ personam conficiunt proprietates, intelligemus. Atque ita denique, sintne ea quæ in Domino nostro Iesu Christo insunt, duplicia, an simplicia, considerabimus. Natura quidem, vt placet sanctis Patribus, cõmune quiddam est & infinitum, & quasi infima species: vt homo, bestia, animal volucre, equus, bos, canis. Hypostasis autè est quiddam singulare, quod per se coherent: essentia etiã quædam cum suis attributis, quæ hypostasin, id est rem per se constantem à reliquis re vera separat atque secernit, quæ cum iis indiuiduis, quæ eiusdem sunt speciei, naturæ habet commercium: attributis autem quibusdam insignitis, ab iis indiuiduis, quæ eiusdem & naturæ & speciei sunt, differt. Atque vt summatim dicam, natura est id quod cõmune est, vt humanitas. Petrus enim & Paulus sunt homines, & reliqui singuli. Hypostasis autè est id quod speciale est, vt hic & ille. Petrus vna est hypostasis, Paulus alia est hypostasis: non etiam Petrus alia, & Paulus alia natura: sed Petrus hypostasis est, quæ perfectam naturam humanam habet, ob eamque causam perfectus & cõpletus est homo. Itè quæ alia est Paulus hypostasis, quæ eandem perfectam habet naturam humanitatis. Ac eadem quidem naturam habet perfectam vnaquæque hominum hypostasis, non tamen vnã eandemque habet omnes homines hypostasin. Alius enim est Petrus, alius Paulus, aliæque atque alia est eorū hypostasis, non alia autem est natura Petrus, & alia Paulus. omnes enim homines naturam vna continentur. * Itè quæ; equus albus, aut velox, eodem modo & bos qui vno cornu præditus est, & canis parvus, & leo flavus. Atque hæc quidè de natura & hypostasi satis multa sunt ad id quod agimus. Nunc sequitur, vt quid sit nature proprietates, & quid hypostasis proprietates, quidque inter illa intersit, dicendum esse videatur. Naturam quidè proprietates est, quod naturam efficit, sine quo natura, cuius est proprietates, cõstare nullo modo potest:

vt

Rom. 1.

Sap. 13.

Natura &
personæ di-
scrimen.

A vt vita, ratio, voluntas, sensus, incoëssus, respiratio. Hæc autem in homine spectantur. Quod enim rationis non est particeps, non est homo: quoniam homo non oritur, qui non ratione utatur, siue probè, siue improbè. Item quæ nemo nascitur, qui non sensu præditus sit, neque ingrediatur, neque respiret. Natura igitur proprietates est, quod naturam construit, speciemque à specie secernit, id est naturam ab alia natura, & in quaque eiusdem speciei hypostasi perspicitur, vt rationis particeps. Efficat enim hominis naturam, cum in eius definitione sumatur. Est enim homo animal rationis particeps mortale, separatque rationis particeps hominem ab iis omnibus, quæ sunt expertia rationis. Omnis enim homo rationis est particeps. Neque enim homo est is, qui non ratione utitur: quippe cum homo non possit non esse animal rationis particeps mortale. Hypostasis autem proprietates est, quod hypostasin separat: vt narium breuitas, candor, atrox, caluitium, & quæ sunt eiusmodi. Neque enim omnes homines pressis sunt naribus, sed alius est pressis, alius aduncis, alius aptè compositis: nec omnis homo est candidus, sed hic albus, niger ille, alius inter hos temperatus: nec omnis caluus, sed vnus caluus, alter capillorum multitudine insignis. Atque, vt summam dicam, in natura humana omnes eæ proprietates, quæ omnibus hominibus datæ sunt à Deo effectuore, naturales vocantur, vt & sanctis Patribus visum est, & vera ratio præscribit, quæ eadem sunt fictionis & separationis. Natura enim vis est diuino iussu vnicuique speciei data, quæ eam aptam reddit & ad faciendum quid, & ad patiendum. Itaque oculos habere & nares, & cætera membra, natura est, qui enim altero eorum priuatus est, is non est homo perfectus. Eorum autem differentia ad hypostasin accommodatur, vt aspectus & cernere natura est: diuersus autem aspectus, id est valens & imbecillus, hypostaseos. Itemque cibi appetitus & comedere, ad naturam: cupiditas diuersorum ciborum, & diuersa cupiditas, vel inflammata, vel remissa, ad hypostasin pertinet. Eodemque modo voluntas, & velle natura est: varietas voluntatis, & variis modis velle, hypostaseos. Quæ autem in nonnullis rebus singulis eiusdem speciei perspiciuntur, in aliis non perspiciuntur, eæ sunt hypostaseos proprietates. Intelligendum est igitur, omnem hominum hypostasin statum habere, eamque cum non esset, ex rebus quæ non erant, creatoris beneficio in lucem editam, id est conditam fuisse, vitæque, actionis, sensus, intelligentiæ, rationis, & appetitus, factam fuisse participem, id est & ea quæ sunt arbitrij, & ea quæ aduentitia, in omnibus constituisse. Atque hæc quidem sunt essentiæ, atque naturæ propria. Eorum autem propria rationes, distinctique motus proprietates sunt rerum singularum. Eandem enim naturam eorum indicat communio. Ratio autem coherendi, diuisaque & proprio quodammodo conglutinata hypostasis, & cuiusque coagmentatio, & proprius in mouendo, diuersusque eorum quæ naturæ sunt vsus, hypostases, id est res singulas distinctas declarat, facitque vt multi homines esse dicantur. Quapropter in Patre, Filio & Spiritu sancto, quoniam diuersa est vniuscuiusque persona, nec separatim aut distinctè quasi discreta vnaquæque vult & agit, sed coniunctè: non tres, sed vnus est Deus. His ita constitutis, videamus num in Christo duæ sint naturæ: tum cognoscemus, an duas naturæ proprietates habeat. Constat enim natura sine naturæ suæ proprietatibus nullo modo potest. Perfectus quidem Deus Christus est, perfectus etiam homo: & certè post naturarum coniunctionem & vnionem, tum in diuinitate perfectus, tum in humanitate. Diuinitas autem & humanitas sunt ne vna natura, an duæ? Duæ sunt re vera. Alia est enim diuinitatis natura, alia humanitatis. Ergo duæ sunt in Christo naturæ, & Christus in duabus naturis cernitur: siquidem Deus est perfectus, & homo perfectus. Rursus Christumne ex duabus omninò naturis constare profitemur? Prorsus. Cur ex duabus? Quia ex diuinitate constat, & humanitate. Quid enim diuinitatis & humanitatis verba declarant? Duasne naturas indicant? Prorsus. Neque enim vna est diuinitatis humanitatisque natura. Deinde Christumne in diuinitate & humanitate post naturarum coniunctionem

*Que sint
hypostatica
proprietates.*

*Aduersus
Monophysitas acriter
disputat.*

consistere concedemus? Certè. Si ergo post, & ita dicam, vnionem in diuinitate F
 cum & in humanitate cõsistere profiteamur: diuinitas autè & humanitas non vna
 natura sunt, sed duæ: profectò in duabus eũ naturis cõsistere concedimus. Rursus
 si habet Christus Patris naturam, etiam post coniunctionem perfectam, & eius-
 modi cui nihil desit, immutabilem, & cõfusionis omnis expertem, Dei & Patris
 natura, & sanctæ virginis, sũntne vna, an duæ? Prorsus duæ. Sunt igitur duæ in
 Christo natura post coniunctionem. Neque enim in Christo ante vnionem duæ
 erant natura, sed vna Patris. At fieri non potest, vt vna eadẽque natura creata
 sit, & non creata: principium habuerit, & non habuerit: patiat, & non patiat.
 Si enim habuit principium, non caret principio: & si increata est, non fuit creata.
 Ita Christus non vna natura est, sed vna persona duabus prædita naturis: quarum G
 vna est increata, creata altera: vna sine principio, altera principium habuit. Iam
 verò si ex naturis diuersis natura constat, neutra earum eiusdem est essentia. Sim-
 plex enim suam tantum & simplicem habet definitionem: ea autem quæ cõcreta
 est, aliam eamque concretam & copulatam, fieri autem non potest, vt ea quæ al-
 lia atque alia definitione cõtinentur, eiusdem sint essentia. Si ergo vna est natura
 Christus, quo tandem pacto eiusdem erit natura, cuius & pater & mater est? Ille
 enim Deus est, hæc homo. Dei autem & hominis non est vna natura: quãdoquidẽ
 non vna est diuinitatis humanitatisque definitio. Est enim Deus creator, illa au-
 tem creatura. 6 Præterea, cum vna eadẽque natura eiusdem essentia, cuius sunt H
 diuersæ essentia & natura, non dicatur, nec vnus personæ natura eiusdem essen-
 tia esse dicatur, cuius sunt personæ diuersæ essentia: si vna esset natura Christus
 post coniunctionem, quo tandem pacto eiusdem erit essentia, cuius pater & ma-
 ter, quorum est essentia diuersa? Christum autem vnã esse personam, non duas,
 hinc etiã intelligi licet. Estne vnus filius Christus, an duo? Vnus certè. Duæ autè
 personæ quæ erit, si vnus est filius? 7 Nã si duæ sunt personæ, alius atque alius Deus
 Verbum erit, nec iam vnus erit filius. Rursus si duæ sunt personæ Christi, sedent
 ad Patris dextram Cherubico folio, easque vnã cum Patre ac Spiritu res omnis
 quæ est effecta, veneratur & adoratur. Ita non Trinitatẽ adoramus. Præterea si vna
 est Christi natura post cõiunctionem, quomodo benignitas nominatur? nempe
 Dei hominisque cõiunctio. Qua tandẽ natura? Si vna est, non est dubium quin
 vna eius natura: non igitur eius diuina cum homine cõiunctio, & quæ in Christo I
 est, patietur diuinitas. Rursus si passus est Christus, certè eius diuinitas passa est,
 aut eius humanitas. Vtra natura? Certè humana. Eius autem diuinitas an impatiens
 remansit? Certè. Natura eius quæ passa est, & quæ nõ est passa, eadẽne est, an alia
 atque alia? Quonã modo vna erit duæ? Atqui duæ naturæ vna natura non sunt,
 sed vna persona in duabus naturis, quæ vna nõ patitur, patitur altera. 8 Sed Deus
 prohibeat ne alij rei seruiamus, nisi sanctæ Trinitati: Patri, qui vna est persona: vni
 Filio, Dei Verbo, qui carnem assumpsit, & vna persona cõm illius carne cõstitit:
 & vni Spiritui sancto, qui etiã est vna persona: Deus inquam prohibeat, ne alij
 nisi sanctissime & præclare Trinitati seruiamus. Vt enim gladius igne micã, post-
 quàm ignem & flammam recepit, vnus etiã est: sic Christus vnus est & vna per- K
 sona post incarnationem. Et quemadmodum gladium flammeum non audeo attingere,
 non propter ferri naturam, sed propter ignis naturam, qui cõiunctus est: sic
 filiũ Dei Verbum carni cõiunctum venero & adoro, vnãque carnẽ venero, non
 propter carnis naturam, sed propter Dei verbum quod ei cõiunctum est. Regem
 quoque vnã cum purpura adoro, purpuramque propter regem venero. Atqui
 regis & vestis non est hypostatica cõiunctio, nec interminata, nec sempiterna:
 in Christo autem Deo nostro est. Itaque, vt vnũ sanctæ Trinitatis vnã cum Patre
 & Spiritu sancto, Christum incarnatum Dei Filium & Deum venero & adoro.
 Demonstratũ est igitur, duas naturas Christi esse, vnãque personam. Quod si
 duabus naturis cõtinetur, certè duarum naturarum naturales proprietates in eo
 perfectè & completè inesse confiteamur: necesse est, siquidem eum & Deum perfe-

A perfectum, & hominem perfectum cognoscimus, Atque à diuina quidem paternaque natura habet, quòd non est creatus, quòd est sine tempore, sine principio: neque enim cœpit esse, cum prius non esset, verum generatus fuit ex omni aternitate. Hoc etiam ab ea habet, quòd Deus est, quòd vult, quòd agit, quòd rerum omnium est præpôtens, quòd interminatæ immensæque potestatis, quòd effector est & rerum omnium effector, quòd infinitus immensusque est, quòd circumscribi comprehendique non potest, neque vestigari, quòd immortalis, quòd omnia tenet & coninet, quòd est bonus, sapiens, iustus, cõseruator, simplex, non concretus & cõpositus, quòd immutabilis, commutationis que omnis expers, quòd omnia scrutatur, res futuras præuidet, quòd omnia complexu suo continet

B & comprehendit, quòd communionis omnis expers est, actionis autem, non naturæ suæ participes alias naturas facit, quòd liber est, quòd beneficia & munera confert, quòd illuminat, quòd sub aspectum & tactum non cadit, quòd Deo est & essentia superior. Ea denique omnia, quæ habet Pater, sunt Filij, 1^o sola gignendi vi excepta. Cuius rei ipse Dominus verus testis. Omnia, inquit, quæ Pater habet, mea sunt. Et ipsi Patri dixit: Tua sunt mea omnia. Personæ autem eius proprium est, Filium esse, à Patre generatum, ac non Patrem ingenitum, aut 2^o procreatorem. Genitus est enim à Patre sine vlla passione, aut copulatione; id est sine permixtione, vt lumen ab igne, aut potèis vt lumen perfectum à perfecto lumine. Habet igitur à Patre & statum suum, & quæ habet omnia. Itaque ait, Pater meus maior me est. Ego enim ex eo, & non post eam, nec ego à meipso. Patrèque hoc modo honore afficit. Quòd si diuinæ Christi naturæ proprietates, quas à Patre accepit, exposuimus, humanæ etiam eius naturæ naturales proprietates, quas à nostræ naturæ susceptione habuit, exponamus. Si enim, cum Deus esset perfectus, nostri generis homo perfectus causa nostra factus est, profectò omnes habet naturæ diuinæ proprietates, propterea que Deus perfectus existens, omnes quoque humanæ naturæ proprietates habet, id est omnes naturales vires naturæ humanæ, & quæ ad agendum, & quæ ad patiendum pertinent, vt homo omnibus suis partibus expleatur. Si quam enim naturalem proprietatem non accepit, non perfectus esset homo, sed aliquid ei deesset. Hoc autem antè positum sit, nos omnis actionis, functionis & perpeffionis vim naturalem ab effectore horum omnium accepisse, atque naturæ esse hæc omnia. Fieri enim non potest, vt natura qualibet vel munere fungatur, vel quid agat, vel patiat, cuius vim à natura non acceperit. Velut terra non potest ex se germen edere, nisi natura ab effectore & parente vim germinandi acceperit: nec aqua pisces edere, aut terræ fœcunditas ad editiõnè perducere, nisi eiufmodi vim largitus esset creator. Nec aut stirpes crescere possunt, aut volucres volare, aut terrænæ bestię ingredi, aut serpentes repere, nisi crescendi, volandi, ingrediendi, rependi que vim acceperint. Eodem modo nec cernere homo, nec intelligere, nec sponte ac liberè velle aut agere quid potest, nisi vniuscuiusque vim à natura concessu Dei habeat. Itaque homo paruus mundus rectè appellari potest. Constat enim ex animo & corpore, mediũque locum inter mentem & materiem obtinuit. Est enim rerum quæ conditæ sunt, tam earum quæ cernuntur, quàm earum quæ cõspectum fugiunt, id est tam earum quæ sensu, quàm earum quæ ratione & mente intelliguntur, nodus & vinculum. Mēs enim oculus est animi, eiúsque 1² pars castissima. Quapropter ei cum naturis animi expertibus communis est quatuor elementorum tẽperatio & concretio: cum stirpibus & arboribus, præterquàm quòd hæc ipsa etiam & alendi vis & augetur, & præterea feminis: cum animantibus iis, quæ ratione carent, non solum superiora omnia, verum etiam vita, & expers rationis appetitio: vt ira, & cupiditas. item vis, in qua imagines rerum imprimuntur, & memoria, sensusque ac motus appetitus. Est autem motus appetitus, motus totius corporis, impulsus imaginum, respiratio, & loci mutatio. Ei autem cum naturis corpore vacantibus, & mente præditis, ratio communis est, & qui rationem sequitur appetitus, quæ vo-

Homo paruus mundus.

luntas dicitur, primusque mentis est motus. Qui enim vult, is intelligentia mo- F
 uetur ac ducitur: & qui vult, ratiocinatur, & cogitat, & iudicat. Hæc autem appe-
 titio libera est. Qui enim liberè appetit, is & intelligit, & ratiocinatur, & iudicat.
 Ac corporis quidem sunt sectio, fluxus, & commutatio qualitatis, vt frigoris, ca-
 loris, humoris & siccitatis, membrorumque compositio. Animi autem solius,
 qui est rationis particeps, propria est per se vita, intelligentia, & appetitio, quæ
 rationi obtemperat, quæ eadem propriè voluntas vocatur: & præterea animi est
 id, quod verissimè ac maximè propriè animum à natura angelorum se iungit, in
 corpore habitare, eique vitam motumque largiri, liberèque suo arbitrio, id est
 voluntate mouere, ac impellere corpus, appetitumque rationis expertem, vt iram,
 vt cupiditatem, & eum qui habet impetus suos motum: naturalique imperio cor- G
 poris, in quo est, vt seruo sibi à natura dato præesse. Itaque magis ad Deum simula-
 crum homo effectus est, quàm angelus. Angelo enim non est à natura seruus da-
 tus, nec dominatio, quæ sunt corporis & animi communia: quorum animus cor-
 pori impertitur vitam, eamque vim, quæ imagines rerum fingit, id est, quæ res
 sensibus subiectas, percipit, vel discernit ipsam etiam sentiendi vim, id est, quin-
 que sensus: vt aspectum, vt auditum, vt odoratum, vt gustatum, vt tactionem. Præ-
 terea, vim memoriæ, & libero appetitus, alendi & crescendi vim, eumque appe-
 titum, qui rationis est expertis iram, dico, & cupiditatem, esuriam, sitim, defati-
 gationem, despumationem, voluptatem & dolorem, & voluptatis priuationem,
 metum, ignauiam, angorem, æcerorem, consternationem, sudorem, & mortem. H
 Est enim mors discessus animi à corpore, deditque ei omnem victus incremen-
 tumque moderationem. Hæc autem omnes auersæ sunt à ratione perturbationes &
 actiones: actiones autem & facultates à natura datæ. Itaque omnia, quæ naturæ
 sunt munera, à natura Dei concessu habemus. Perturbationes autem dicuntur,
 quòd natura omnis, quæ creata est, aliquid accipiendi mouetur, & agit. Sola au-
 tem diuina natura non patitur, nihilque accipiendi mouetur, immotaque ope-
 ratur. Præterea, quædam eorum functiones potius quàm perpeffiones videntur
 esse: quædam autem magis perpeffiones. Rectius enim vitam, actionis: mortem
 autem & sectionem, & lapfionem, perpeffionis nomine appellaueris. Sectio igitur,
 & fluxus, qualitatisque commutatio, id est dealbatio, in nigroremque ac fri- I
 gus, & calorem mutatio, morbus, & si qua sunt similia, perpeffiones sunt. Itemque
 membrorum digestio, & compositio. Natura enim ipsa digerendo & fingendo
 operatur: corpus autem cum componitur, patitur, & accipit. Naturam autem vo-
 co, legem & vim, quæ cuique * ab initio parentis Dei munere concessa est, qua
 ducè mouetur, & quiescit. Mouetur quidem ad ea generanda, quorum quisque
 vim & facultatè habet: vt intelligit, ratiocinatur, vult, sentit, loco mouetur. Ho-
 rum enim vim ab effectu accepit. Quiescit autem, cum ea munera non exequi-
 tur, ¹⁴ quorum vim non accepit, nisi insistat. Motus autem sunt, ortus, interitus,
 immutatio, accessio, decessio, & loci mutatio. Huius sex sunt genera: antè, ponè,
 dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum. Atque hæc quidem, & cætera quæ
 diximus, motus habenda sunt. Intelligentia autem, appetitus cum ratione, cogi- K
 tatio, quaestio, consideratio, consilium, iudicium, affectio, institutum, sententia,
 & ad defunctionem vsúmque impulsio, actiones nominantur. Quanquam au-
 tem intelligentia potius actio videtur esse, & appetitus perpeffio (omnis enim
 patitur, qui appetit) tamen appetitum eum, qui est cum ratione, actionem dici-
 mus: propterea quòd liber est, imperatque auersis à ratione perturbationibus,
 easque diiudicat, gubernat, & quasi freno temperat, vt iram, voluptatem, sen-
 sum, & appetitum. Hæc enim omnia in hominibus, qui naturam ducem sequun-
 tur, rationi obtemperant, subiectaque sunt, eoque inclinant, quocumque ratio
 præscripserit. Atque hæc etiam perturbationes naturas eas efficiunt, quæ vitæ be-
 neficio vtuntur. Neque enim his sublatis vitæ locus vllus relinquitur. Homini
 autem datæ sunt Dei concessu ad munera exequenda: cupiditas, vt Deo eiusque
 præ-

Solus Deus
 impassibi-
 lis.

* add. spe-
 ciei.

A præceptis pareamus: ira autem, vt diabolò & peccato resistamus, confirmemúsque cupiditatem. Ac ea quidem appetitio, quæ rationi aduersatur, ad eam naturam absolendam quæ visus, est data. Ea autem quæ rationi parerit, ac sui est arbitrij, vt liberè quasi freno ducat omnem motum naturalem, eumque effectoris legi subiiciat. Ergo adiuncta est homini intelligètia & appetitio, vt ne inuitis nobis, qui ratione vtimur, ea accidant, quæ rationis expertibus. Mens enim quæ liberè appetit, tum ratione, tum intelligenter, tum cupidè & intelligit res, & quærir, & considerat, & deliberat, & diiudicat, & gubernat, & quod statutum est sequitur, & ad agendum conuertitur. Præfunt enim naturam, quæ ratione vtuntur, rationis expertibus. Quòd si homo vt rationis particeps, omnis eius naturæ, quæ rationis expertis est, rex est factus, quid est quamobrem non ea perturbationes, quæ à ratione auersæ sunt, eius erunt potestatis & voluntatis? Cùm ergo & appetitus, & rationis & mentis sit particeps, tum appetitu ad intelligendum ratiocinandumque ducitur, tum rationem, mentem, & suam libertatem ducem sequitur in appetendo. Eorum autem, quæ animi & corporis communia sunt, vis quidem ea quæ vitam suppeditat, magis actione cernitur: itémque ea quæ rerum imagines fingit, quæ sensum ministrat, memoria, & motus appetitus, patibiles sunt functiones, vel ad fungendum pertinentes perpeffiones. Ira autem, & cupiditas, fames, sitis, labor, metus, ignauiam, angor, voluptas, dolor, desumatio, & sudor, alendi vis & crescendi, & quæ omnibus constituta est mors, perpeffiones sunt: quæ omnia hominibus à Deo data sunt, vt & naturalia sint, & careant reprehensione. Ipse enim & statum, & hunc talem statum dedit: nec quisquam est, qui non his sit præditus. Ac eorum quidem perceptio creatoris tum sapientiam, tum virtutem declarat: nobis autem illa nec laudi, nec vitio ducuntur. Nam præclara sunt, à probòque artifice beneficij virtutisque causa concessa: at vsus eorum virtutem vitiumque gignit. Etenim si Dei legi voluntas nostra pareat, & ex eius legibus mens, ea quæ rationi obediunt, gubernet, nos certè & virtutem adipiscemur, & iustitiæ munus explebimus. Eò enim eorum potestatem accepimus, qua accepta tum legem accepimus, tum legi fuimus obnoxij. Ea enim animantia, quæ sunt expertia rationis, quoniam mentem ducem non habent, quæ iræ & cupiditati imperet, legem minimè acceperunt. Quoniam igitur à natura Dei serui sumus, & liberum arbitrium habemus, quod virtutis efficiens est (¹⁶ neque enim virtus est, neque iucunditatem vitæ affert) legem accepimus, vt Dominum nos habere intelligamus, ne in tenebris ambulantes, in fossam incidamus. (Lucerna enim, vt ait Dauid, pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis:) ¹⁷ vt non minus boni quod datum est, quam Dei, qui dedit semina, fiamus participes. Ipse enim & rectè agendi nobis potestatem dedit, & nostræ potestatis nos procreauit, vt tum ab ipso, tum à nobis præclaræ actiones oriantur. Omnes enim, qui ea quæ bona sunt, volunt & sequuntur, in iis efficiendis Deus adiuuat, vt cùm ea, quæ à natura data sunt nobis, integra seruauerimus, ea quæ naturam superant, cõsequamur, tum immortalitatem, tum ex Dei coniunctione diuinitatem: ne si iis naturæ præfidiis quæ accepimus, contrà quam ratio præscribit, vtamur, cum iis naturis quæ rationis & mentis expertes sunt, conferamur, ad earumque accedamus similitudinem. Si enim voluntati diuinæ nostræ minus obtemperet, sed ex sua libidine libera meas, ira, & cupiditas gerat omnia, erit in vitio. Vitium enim aliud est nihil, nisi peccatum, ¹⁸ aspernatio, & auersio à lege Domini. Itaque primum bonum, quod liberi arbitrij est, naturam eam decet, quæ ratione vtitur: & libero arbitrio vti, perturbationibusque iis quæ rationem aspernantur, iram dico, & cupiditatem, imperare virtus est. Liberum autem arbitrium prodere, perturbationibusque à ratione auersis succumbere, & sine ratione ritu beluarum viuere, hoc vitium est, hoc peccatum, vt ne dedecore & turpitudine afficiamur, si ea quæ beluarum sunt committamus: sed naturæ appetitus rationi obediens faciamus. Neque enim ea viuendi ratio, quam beluæ sequuntur, eam decet qui est rationis particeps: sed iis

potius perturbationibus, quæ beluas attingunt, cōuenienter rationi vti debet, F
 easque ratione moderari, & in ditionem redigere, ducere, & quasi freno cohibe-
 re, diuinæque legi subiicere, iisque ita vti vt Dominus imperauit. Intelligendum
 est autem, ex verborum confusione & ambiguitate, hereticorum errorē extitisse.
 Vt enim, exempli causa, hæretici ij, qui Monophysitæ appellati sunt,¹⁹ nec prin-
 cipium vllum probabant, ex eo vnam tantum naturam in Christo ponebant,
 quod idem naturam & personam esse dicerent, ne in duas personas Christum di-
 uiderent: itémque Nestoriani, quod duas personas dicerent, ne duas naturas in
 vnam confunderent: sic ij qui Monotheletæ dicti sunt, quod ignorarent, quid
 inter naturæ & personæ voluntatem, id est sententiam interesset, factum est, vt
 vnam solùm in Christo ponerent voluntatem. Vt igitur eum errorem, quem G
 ambiguitas parit, vitemus, hoc dicendi de voluntate duces exordiam. Vo-
 luntatis ambiguum est verbum. Interdum enim vim eam qua volumus, signifi-
 cat: interdum id quod volumus, quodque ei vi qua volumus, subiectum est, id
 est rem ipsam, quam vult quispiam. Vt autem aliud est aspectus, aliud id quod
 sub aspectum cadit, quod aspectus est ipsa vis, qua cernimus, quæ in oculo suo
 munere fungitur: id autem quod sub aspectum cadit, est ipsa res quæ videtur, vt
 lapis, vt lignum, & quæ sunt generis eiusdem: sic voluntas est ipsa vis animi qua
 volumus, id autem quod sub voluntatem cadit, est ipsa res, quam quisque vult,
 cum dico me velle nauigare, ipsa nauigatio cadit sub voluntatem. Omnino au-
 tem quod voluntati subiecta est, aut actione, aut perfectione cernitur. Nunc, H
 quia voluntas est naturæ, aut personæ, vtrum omnes homines vim eam qua vo-
 lumus, habeant, necne, videamus. Ac illud quidem dubium non est, quin omnis
 homo voluntæ sit præditus. Quis enim vnquam homo extitit, qui nihil vellet?
 Non omnis autem homo vult eo modo, sed alius benè, alius improbè, suo quis-
 que arbitratu. Itaque voluntas quidem, id est vis qua volumus, & velle absolutè,
 naturæ est: id autem quod sub voluntatem subiectum est, id est id quod volumus,
 arbitrij est atque rerum singularum. Rursus²⁰ ambiguum, vt diximus, volun-
 tas interdum vim qua volumus declarat, interdum id quod sub voluntatem ca-
 dit. Sciendum est enim, aliud esse voluntatem, aliud id quod voluntati proposi-
 tum est, in quo versatur: aliudque velle omnino, aliud velle aliquid & aliquo mo-
 do, & aliud id quod velle potest, aliud id quod vult: quemadmodum aliud est I
 aspectus,²¹ aliud id quod sub aspectum cadit: aliudque videre omnino, & aliquid
 aut aliquo modo videre: & aliud quod videri, aliud quod videre potest, aliud id
 quod videt. Aspectus enim est ipsa vis animi qua videmus, quæ in oculo suum
 munus exequitur. Videre autem est, vti ipsa videndi vi, agere & aspiciere. Nemo
 enim cernit, qui non aspectum, id est cernendi habeat facultatem. Aliquid au-
 tem cernere est, vel cœlum, vel terram, vel aliquid aliud videre. Quodammodò
 videre, est integrè aut corruptè cernere. Id autem cadit sub aspectum, quod pro-
 positum est aspectui, & quod cernitur: id est corpus, aut color, aut figura, quæ vi-
 dentur: videre autem id potest, quod à natura videndi vim habet, etiamsi dor-
 miat, aut cæcum sit. Homo enim animal est quod potest cernere. Is verò videt, K
 qui aspectu, id est videndi vi utitur, & agendo, & aspiciendo. Eo modo volun-
 tas, est ipsa vis qua volumus, quam à natura animo eius effector dedit, id est vo-
 lendi facultas. Velle autem est, vi ea qua volumus vti: vult autem nemo, qui vo-
 luntatem, id est volendi vim non habeat. Id autem cadit sub voluntatem, quod
 voluntati subiectum est, id est res, quam volumus. Vt si dicam velle me nauiga-
 re, ipsa nauigatio id est quod sub voluntatem cadit. Et si dicam me velle tempe-
 rantem esse, ipsa temperantia est, quæ cadit sub voluntatem. Id autem non cadit
 sub voluntatem, quod nemo vult: quemadmodum id non cadit sub aspectum,
 quod aliquis non videt. Aliquid velle est, vel coniungi Deo, velle comedere,
²² velle facere, velle nauigare, velle cum vxore concumbere. Quodammodò au-
 tem velle est, vt velle benè & ex lege De²³ cum vxore concumbere: aut malè, vt
 velle

- A** velle contra legem Dei cum aliena concumbere. Id autem velle potest, quod vim qua vult, habeat à natura, vt homo, vt angelus, vt Deus. Vnusquisque enim eorum vim qua vult, à natura habet. ²⁴ Vnaquæque enim angelorum hypostasis vult. Quod autem vnaquæque habet hypostasis, id est naturale. Est enim naturale id, quod in omnibus singulis rebus, quæ sunt eiusdem speciei & naturæ, perspicitur. Id autem velle dicitur, quod vtitur volutate, id est vi qua volumus: qualis est hypostasis, id est vnaquæque rerum singularum. Voluntas ergo interdum ipsam vim qua volumus, significat: interdum id quod sub voluntatem cadit, id est ipsam rem quam volumus. Itaque voluntas ad naturam pertinet, & velle simpliciter. Omnis enim homo facultate ea, qua vult, est præditus: vultque omnis homo, id est voluntate vtitur, quoniam homo est animal, quod aptum animum habet, vt velit. Id autem quod sub voluntatem cadit, non tam naturæ, quam arbitrij, atque hypostasis est, neque enim omnes homines idem, neque eodem modo volunt. Ex quo fit, vt quodammodo velle, vt bene aut malè, aut aliquid, vt hoc vel illud velle, non sit naturæ, sed arbitrij, atque hypostasis in angelis & hominibus. Nam in sancta & indiuisa Trinitate vna trium personarum naturalis est voluntas, & vnum naturale bonum, nec suam quæque persona rem habet quam velit, nec propriam appetitionem: sed trium personarum vna est appetitio, & sub earum voluntatem vna eademque res cadit. Itaque non tres dii sunt, sed vnus Deus, tres personæ, vnus Deus, cum iis quæ in eo sunt facultatibus, non vnus concretus. Vnaquæque enim earum perfectus est Deus, perfectaque persona. ²⁵ Naturarum autem institutio nulla ex persona existit, idque omnino inauditum est, Deoque solo dignum. At in angelis & hominibus, non item. Vt enim vna sit angelorum voluntas, ea quæ illis primo ortu à Deo data est vis, qua volunt (nam & vnusquisque angelus vult, & vnusquisque homo) tamen non vnus est omnium angelorum motus, nec vnus hominum omnium: sed suus cuiusque hypostasis motus est, sua cuique res proposita quam velit. Non enim eodem modo, neque idem volunt singuli angeli & homines, sed hic bene, ille malè, & alius aliud: & cum vnus mouetur atque vult, non simul alter vult & mouetur. Ita in angelis & hominibus naturæ voluntas attribuitur. Quod idem de volendo iudicandum est. Omnes enim homines & aptum animum habent vt velint, & omnes volunt.
- D** Sed tamen non omnes homines idem possunt velle, nec idem omnes volunt. In sancta enim Trinitate tres personæ aliter insunt in aliis, sicutque Verbum ac Spiritus Patris potestates atque virtutes, ob eamque causam vnus est trium voluntatis motus: itemque ²⁶ ad eam res eis proposita est quam velint. Angeli autem atque homines suam quisque diuisam & distinctam hypostasin habent, etsi eiusdem naturæ sunt: ob eamque causam, vis qua volunt, & velle in eis est, illud quidem vnum atque naturale: velle autem quid, aut quodammodo, arbitrij atque hypostaseos. Et eorum quidem vna est vis naturalis, qua velle possunt: multi autem sunt, ²⁷ qui volunt. Quare voluntas est appetitio ²⁸ cum sensu atque ratione. Ac ea quidem animantia, quæ ratione carent, cum sensu, non cum ratione, neque liberè appetunt. Homo autem, qui rationis est particeps, qua ex parte animal est, cum sensu appetit: qua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberòque habet appetitum. Est igitur voluntas, naturalis quædam appetitio rationi sensuque consentanea, quæ solum ²⁹ naturalibus accommodatur. Naturæ autem voluntates sunt primùm, vt Dei legibus pareamus. Naturæ enim homo Dei seruus est, eiusque subiectus. deinde ea quæ personis rebusque singulis natura præscripsit, vt fames, vt sitis, vt somnus, quæque sunt eiusdem generis, sunt voluntates rerum singularum, atque arbitrij. Appetitio enim voluptati & libidini, siue arbitrio congruens, eius est rei quæ eam adhibet, non autem legi diuinæ est consentanea. Ratióque vtendi ea voluntate, quæ à natura proficiscitur, arbitrato eius fit hypostasis quæ vtitur. ³⁰ Ita quod etiam ab altera hypostasi separat, diuersam hypostasis sententiam arbitrium quæ efficit. Quanquam sunt, qui hominem

naturali voluntate præditum negent. A iure enim duas solum esse voluntates, **F** vnam bonam, quæ diuina sit, alteram malam, quæ à diabolo proficiscatur: cumque homo id vult quod bonum est, tum eum Dei habere voluntatem: cum autem malum, eam quam diabolus efficiat. Sed non intelligunt fieri non posse, vt quæuis natura agat aliquid, cuius vim à natura non perceperit, velut volare non potest auis, nisi à primo ortu volandi facultate sit prædita: nec eodem modo terrena bestia ingredi possunt, nisi vim gradiendi à natura acceperint. Sic nec homo intelligere potest, nisi à natura intelligendi vi & facultate sit præditus: nec loqui, nisi loquendi vim à natura habuerit. Quapropter primum insit à natura oportet vis, qua volumus, id est voluntas: deinde ita denique velle sequitur. Itaque in Domino nostro Iesu Christo, quoniam duæ sunt naturæ, duæ quoque sunt nature voluntates: vt sit tum perfectus Deus, tum homo perfectus: nec ei vlla diuinitatis, vllaque humanitatis proprietas desit. Duæ autem sunt eius voluntates, eaque aliæ atque aliæ pro naturarum differentia. Diuina enim ³² omnia completitur (voluntas enim diuina rerum omnium est præpotens) humana autem non omnia potest, sed imbecilla est, & ad patiendum accommodata. Est enim infirma & ad patiendum idonea humana ³³ in Deo voluntas. Aliudque & aliud à natura subiectum est vtrique voluntati. Neque enim quæ sub humanam voluntatem cadunt, ea diuinæ sunt voluntatis. Nam cum à primo ortu natura humana & esculentorum, & poculentorum, & somni, ceterorumque eiusdem generis cupiditate ducatur, hæc tamen diuina natura non desiderat. Neque enim hæc appetit, etiam si naturam humanam hæc velit naturaliter desiderare, & quemadmodum, **H** & quando præscribit. Nec verò contrariæ sunt inter se duæ illæ, quæ in Domino nostro Iesu Christo insunt pro naturarum distinctione voluntates. Neque enim diuinæ voluntati contraria est hominis naturæ congruens voluntas: neque ea quæ illi subiecta sunt à natura: neque is voluntatis vsus, quem natura præscribit, præfertim cum eorum omnium, quæ naturam ducem sequuntur, diuina voluntas sit effectrix. Sed ea demum diuinæ voluntati repugnant, quæ sunt contra naturam, qualis est iudicio & arbitrio proprio, peccati que voluptati appetitus consentaneus, id est peccatum, quod minimè Christus assumpsit. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quoniam autem vna est Christi persona, vnusque Christus, sit vt vnus sit, qui vtraque naturam velit: ita tamen, vt qua ex parte Deus est, imperet & censeat: qua autem homo, pareat & obediat: imperet quidem vt Deus, paterna diuinæque voluntate vnà cum Patre & Spiritu: vt autem homo, nostra voluntate diuinæ suæ, ac paternæ voluntati morem gerat. Neque enim Patri obedit diuina sua voluntate: quippe cum diuina voluntas nec pareat, nec imperium recuset: quandoquidem hæc sunt, vt ait Gregorius Theologus, eorum qui in ditione alterius sunt, & serui formæ, quam ex nobis Christus assumpsit. Factus est autem obediens naturaliter humana sua voluntate, quoniam obedientia libera, & necessitatis expers voluntatis subiectio in aliena est voluntate. Voluit igitur & vult res diuinas, vt Deus: humanas autem & voluit & vult vt homo, non sententiæ repugnantia, sed naturarum proprietate. Voluit enim ac **K** vult res eas, quæ naturam humanam attingunt, vbi visum est, & quando ipsius diuinæ voluntati, quod sponte humana illius voluntas diuinæ eius pareat. Dei enim voluntas & actio est, vt placet beato Irenæo, omnis & loci & temporis & seculi ³⁴ omnisque naturæ effectrix, & prouidentia. Humana autem voluntas vis est naturalis, ³⁵ qua ea continentur, quæ naturam attingunt. Omnis enim natura, tum statum suum, tum vitam, tum motum & sensum & mentis expetit, statumque suum naturalem, eumque perfectum & absolutum desiderat. Vult enim saluam se esse natura, eaque omnia, quæ se efficiunt, propter statum suum, à quo tum præfens appetitus, tum eius origo pendet. Itaque alij ³⁶ hoc naturale definiunt, appetitum cum ratione & sensu eorum, quæ ad naturam solum pertinent. Voluntas autem, beati Clementis sententia, est eius quod propriè est appetitio. Rursus, voluntas

- A luntas appetitio est eius, quod ratione vtitur naturæ consentanea. Itēque mentis imperatricis liber motus. Deus enim hominem initio cū finisset, eiusmodi fecit, qui, vt beatus Athanasio placet, & 37 naturā peccare non posses, & suæ esset voluntatis atque potestatis. Ac res quidem omnis, quæ ortum habuit, tam ea quæ rationis est particeps, quàm ea quæ expers est, quæque sensum habet, & non habet, & quæ non viuit, naturā peccare non potest. Non omnis autem libera voluntate est prædita. Cūque natura diuina & peccare non possit, & sit libera voluntas, non tamen mutabilis est, sed omnino immutabilis. Quod si natura diuina eiusmodi voluntate est prædita, vt nec peccatum, nec mutatio in eam cadere possit, cū interim sit libera: omne autem quod creatum est, sic à Deo generatum est, vt peccare nequeat, (quæ enim fecit, valde bona erant omnia) ita tamen factum est, vt in id caderet mutatio. Quorum enim ortus à mutatione initium cepit, ea naturā sunt mutabilia. Mutatio autem est ex nihilo in lucem editio. Si igitur Christus hominis voluntatem non accepit, qua tandem voluntate Patris præceptis paruit? Si humanam voluntatem non sumpsit, qua voluntate legi subiectus fuit? Si humanam voluntatem non assumpsit, qua voluntate omnem iustitiam impleuit? se enim perfecta virtute atque iustitia præditum fuisse, Ioanni dixit, Sine modò: sic enim decet nos omnem iustitiam implere. 38 Vt enim omnibus iustitiæ & virtutis numeris absolutus esset, non tamen in iustitiæ virtutisque officiis progressum fecit, sed perfectum eum atque absolutum summa reddidit coniunctio. Neque enim cū non esset, ortus est Deus: sed cū Deus perfectus esset, perfectus homo factus est. 39 Etenim si voluntatem humanam non assumpsisset, profectò nunquam primam illum morbum, qui in nobis erat, curatione adhibita, depulisset. Vt enim ait Gregorius Theologus, Quod non est assumptum, id curatum non est. Quid enim præter voluntatem peccauerat? Quod ergo offenderat, quod peccauerat, id maiore egebat curatione. Quod si neges id ab eo assumptum esse, quod peccauerat, fateare necesse est ab eo naturam, quæ peccauerat, & ægrotabat, non fuisse susceptam. 40 Quàm si ipse sibi non coniunxit, quo tandem pacto antequàm statuerat aliquid esse bonum aut malum, id quod malum est declinabat, vt quod bonum erat deligeret? Neque enim diuina voluntas 41 dissuadet, aut suadet, aut eligit. Improbatur igitur mala, & bona sequitur, dum paternæ voluntati, vt homo, liberè obtemperat. delectus enim liberæ est voluntatis. sed non more nostro consultabat, aut iudicabat: nec duorum contrariorum, virtutis dico & vitij, rationem ducebat, aut eorum noticiam habebat: sed solius boni, in quo est decretum diuinæ voluntatis. Ita quod Adamus debebat, ipse dissoluit. Quod autem dicitur, prius quàm sciret bonum aut malum, non cognouit ipse, nec cogitauit malum ex coniunctione, quam hypostasis procreauit: nec ratio eius in vtramque partem propendebat, aut distrahebatur: sed cū ipse vnus Christus hoc & illud esset, id est Deus & homo, iis quæ ad humanitatem suam pertinebant, id est iis omnibus, quæ naturam humanam attingunt, ad parendum præceptis paternis suisque diuinis vtebatur. Quod si Angelorum præsidium & adiutorium accepit, quem admodum scriptum est, Et ecce angelus eum confortabat: ea est lex naturæ humanæ data. Ait enim David, Angelis suis mandauit de te, & in manibus portabunt te. Nec si desertus est, id circò voluntatem non accepit. id enim ait: Eli Eli, lamasabachthani? id est, Deus meus, Deus meus, quid me dereliquisti? Deus & Pater vnigenitum Filium suum, cū homo factus esset, causa nostra morti dedit, neque enim corpus eius relictum est, aut separatum ab eius diuinitate: neque corruptum est. Nec eius animus desertus est in inferis. Nec Deus & Pater Filium suum deseruit, sed cum pro nobis contumelias, ignominiam, supplicia, mortem denique perferre voluit, cū nec in crimine vllò, nec peccato teneretur, Itaque dum paternæ voluntati etiam vsque ad mortem paruit, ignominiamque contempsit, vera gloria & honore sempiterno naturam nostram affecit at-

que coronauit. Si ij, qui naturam vnam in Christo concretam & compositam concedunt, duas negant, naturarum distinctionem approbant: 42 quo tandem modo ij, qui duas naturas in Christo ponunt, vnam tamen dicunt in eo inesse voluntatem? Sed aiunt, non ad naturam, sed ad personam voluntatem pertinere. Quo ergo in genere voluntatis ponetis vim qua volumus? in quo 43 actionem, qua simpliciter & omnino volumus? in quo id quod sub voluntatem naturaliter cadit, & vsum ipsum voluntatis, id est velle? in quo denique id quod sub cuiusque voluntatem pro animi libidine cadit? Nam si vni volendi & omnino velle ad personam accommodatis, non verè dicitis. Cùm enim omnes homines vi volendi præditi sint, & omnino velint: quæ autem in omnibus personis & rebus singulis, quæ eidem speciei subiectæ sunt, perspicuntur, naturæ sint, non personæ propria: nec omnes homines idem velint, nec eodem modo, efficitur vt vis volendi & absoluta voluntas ad naturam pertineat: velle autem certum quid, aut certo quodam modo, sit vniuscuiusque rerum singularum differentia, & vt ita dicam, hypostaticum accidens. Testis est sanctus Ioannes & verè Chrysoström, qui in primo libro Commentariorum in Epistolam ad Hebræos, Oratione decimaquarta, scribit his verbis: 44 Voluntas enim infita est nobis & innata, & à Deo est. Huius autem vel illius rei voluntas nostra est, & nostri iudicij. Præterea, quoniam vis volendi, quæ personæ attribuitur, ab alio proficiscitur, filius patris erit etiam diuersæ voluntatis: 45 ea autem, quæ naturam attingunt, ab alio non traduntur. Nemo enim discit esurire, nemo sitim perpeti, nemo dormire, aut respirare. Ita ne velle quidem quisquam docetur: quodam autem certo modo, siue benè, siue malè velle, & velle aliquid docetur. 46 Itaque velle Dei lex docet, quandoquidem id nobis naturaliter ab eo datum est, sed vt benè & aliquid velimus. Ex quo fit, vt velle omnino ad naturam, velle autem, & aliquid, & quodammodo, ad personam pertineat, atque distinguat, præterquam in sancta Trinitate. Illic enim cur eodem modo, idemque velint tres sanctæ illæ diuinitatis personæ, natura diuina causa est. Vnus enim sanctæ Trinitatis, qui carnem sibi coniunxit Filius, qui idem & Verbum Dei, & Deus est, quemadmodum hominis naturam accepit: Pater autem & Spiritus sanctus non acceperunt, ex eoque à Patre & Spiritu est distinctus, quod homo factus est: sic proprietatibus iis, quæ naturam attingunt humanam, discretus est à Patre & Spiritu, quod duas naturas habeat, duasque naturales proprietates. Præterea id essentiam naturamque attingit, quod cùm adest, seruat: cùm abest, naturæ definitionem dissipat. Estne igitur homo expers voluntatis? Certè non. Nemo enim homo vnquam sine voluntate extitit. 47 An verò ad naturam voluntas referenda est? Si fames, si sitis, si somni cupiditas, quæ à ratione desciscunt, in naturalibus sunt, an non appetitio, quæ rationi parit, & libera est, ad naturam pertinebit? Iam cùm ad Dei imaginem & simulacrum effecti simus ea ex parte, quæ intelligentia & libertate continetur, si voluntatem liberam Christus non accepit, profectò ad Dei simulacrum non fuit effectus. Dicam autem nec ita multò post, pauca de simulacro Dei, quod ipse in efficiendis nobis imitatus est. Si igitur humanam voluntatem Christus non accepit, quæ ipse voluit, omnia diuina voluntate voluerit, necesse est. Ita cùm in domum quampiam clam ingredi voluit, non potuit. Non igitur diuina voluntas rerum omnium est præpotens, sed infirma est & imbecilla. Has ineptias homo, & nugæ pellito. Non est diuinæ voluntatis, cibi aut potationis cupiditate duci, aut ex loco in locum migrare, aut alia eiusdem generis exequi, sed humanæ: etiam si humana voluntate Patris præceptis parens hæc voluit omnia. Sed ita occurrunt nobis hoc loco, vt dicant, non à natura libertatem homini datam esse, sed honoris causa, propterea quod Gregorius Theologus ita dicat, Liberum arbitrium ei honoris causa tribuit. Sed attende quid rursus idem Pater dicat, Hunc rationis & simu-

Orat. 2. de
Pasch.

A & simulacri diuini honore ornauit. Non igitur eam partem animi, in qua ratio sita est, à natura, sed honoris causa accepit. 48 Sed tempus est, vt Dominum non modò animum rationis participem, verumetiam rationem sibi coniunxisse demonstrum.

ANNOTATIVNCVLAE IN PRAECED. TRACTAT.

- 1 etiam si in eorum coniunctione quaedam videatur esse confusio) Gr. *καὶ σύγχυσις θεωρεῖται ἐν τῇ ἐνώσει*, id est, atque confusio in coniunctione perspicitur. Videtur interpres legisse *καὶ θεωρεῖται*. 2 in quibus si temperatio) Gr. *εἰ οὐκ ἔνθα σύγχυσις θεωρεῖται, ἀνάγκη θεωρεῖται* & φυσικὴ ἰδιώματα τῶν συνθετῶν, id est, Si igitur vbi confusio perspicitur, naturales compositarum rerum proprietates perspicere necesse est.
- B 3 Nam quod ex duabus naturis vna persona constat) Gr. *ὅταν γὰρ ἐκ δύο φύσεων μία ὑπόστασις συνθετῶν γένηται*, id est, Nam cum ex duabus naturis vna composita hypostasis efficitur. 4 cognoscitur) Gr. *ἐνοίτα*, id est, vniretur. 5 & consulant.) Post hæc verba addendum est, At hypostaseων differentia, quod suum est discernit ab eo quod genere alienum ac diuersum est. 6 Præterea cum vna) Gr. *καὶ πάλιν, μία καὶ ἡ αὐτὴ φύσις ἑτεροσίοις ὁμοσίοις εἶναι ἔδωκεν* (deleo hæc verba, quæ sequuntur, *καὶ πάλιν φύσις φύσις ὁμοσίοις ἔδωκεν*, quoniam falsum sensum habent, nec ab interprete agnoscuntur) ἔδωκεν ὑπόστασις μονοφωῆς ἑτεροσίοις ὑπόστασις ὁμοσίοις, εἰ οὐκ &c. hoc est, Ac rursum, vna & eadem natura eandem cum diuersæ essentia rebus essentiam habere non potest: neq; vnus naturæ persona eandem cum diuersæ essentia personis essentiam habere. Quocirca si Christus post vnionem vnā tantum naturam habet, &c. 7 Nam si duæ sunt personæ) Ab his verbis vsque ad hæc, Rursum si passus, multa in Perionij translatione errata inueniet, quisquis eam cum Græcis contulerit. Ac sanè in vna voce Græca vitium hæret, quod non animaduersum, totam sententiam ita obscurat, vt eius splendor nullo modo eluceat. In his enim verbis, *πὸς οὐκ ὀνομάζεται γενεῆς*, legendum haud dubiè est *γενεῆς*, quo vocabulo in eadem materia vitur Damascenus libro tertio de Orthod. fide, cap. 3. Sic itaque totus hic locus emendari potest: Nam si duæ personæ sunt, aliud & aliud est: atque ita vel duo Christi erunt, vel alter Christus, & alter Deus Verbum, ac non iam vnus Filius. Ac rursum, Si duæ Christi personæ sunt, sanè cum ad Patris dextram in Cherubico throno sedeat, ac simul cum Patre ac Spiritu ab omnibus rebus conditis adoretur, non iam Trinitatem, sed quaternitatem adoramus. Ac rursum, Si post naturarum coniunctionem vna duntaxat Christi natura est, quoniam pacto appellatur? Christitas scilicet, aut humanitas? Vtra porò natura passa est? (ἐπαθεῖν enim addendum esse constat ex his quæ sequuntur.) Si vna tantum ipsius natura est, vna etiam duntaxat naturā passus est. Ergo *θεανθρωπότης* ipsius, hoc est, vt ita dicam, Deihumanitas. Atque ita diuinitas in Christo passioni obnoxia erit. 8 Sed Deus prohibeat) Ante hæc verba in Græco hæc sunt, *καὶ ἕως εὐδρόμος ἡμῖν ἔσται ὁ λόγος*, quæ legisse non videtur interpres. Ac certè ad rem parum faciunt. Pro *ἄλλη* autem legendum *ἄλλ' ἢ*. 9 nec interminata) *ἀδιότατος*, indiuisa. 10 sola gignendi vi excepta) *πλὴν τῆς ἀγεννησίας*, id est, excepta ingenti proprietate, vel, hoc vno excepto, quod ingentus est. 11 aut procreatorem) Miror quo modo hoc vocabulum interpreti exciderit. Genitorem enim dicere debuit. Neque enim Pater Filij procreator, sed genitor dici debet. 12 cuiusque pars castissima) purissima. 13 liberos appetitus) *πλὴν καὶ ὀρμῆν κίνησιν*, id est, motum ab appetitu proficiscentem. 14 quorum vim non accepit, nisi insitit) Gr. *ἡρεμῆ δὲ μὴ κινῆσθαι πρὸς τὰς οὐκ ἔλαβε δύναμιν ἐνεργείας, ἀλλ' ἰσχυρῶς*, id est, Quiescit autem, cum ad eas actiones, quarum potentiam accepit, non mouetur, sed insitit. Hoc enim loco delendam esse in Græco particulam *δε*, gatiuam liquet. 15 & quæ omnibus constituta est mors) ac denique mors. 16 neque enim virtus neque iucunditatem vitæ affert) Gr. *ὁ γὰρ ἀρετὴ ἔδωκεν τὸν τὸ βίαι γνώμονον*, id est, nec virtutis nomen obtinet, nec iucunditatem affert, id quod inuitè fit. 17 vt non minus boni, quod datum est, quàm Dei qui dedit seminam, sumus participes) Hic quaedam omisit interpres, quaedam parum commodè transtulit. Græca enim sic habent, *ὅπως γνωσθῆ ἡμῶν ὁ πρὸς τὸν θεὸν πόθος καὶ ἡ εὐνοία, ὅπως τῷ θεῷ τῷ ἀγαθῷ κοινωνήσωμεν, ἢ ἢ τὸ εὐομεν τὸ ἀγαθὸν ἕχῃ ἢ τὸ πρὸς θεῷ ἕχῃ ἢ τὸ πρὸς θεῷ ἕχῃ*, id est, vt nostra erga Dominum cupiditas & beneuolentia cognoscatur: vt in boni consortium cum Deo veniamus: vt bonum non minus eius sit, qui elegit, quàm eius qui femina porrexit. Hæc autem postrema verba Damascenus à Gregorio Nazianzeno, Oratione de Christi natiuitate, mutuatus est. 18 aspernatio) *ἀποτυχία*.

aberratio, vel, vt barbàrè loquar, carentia. 19 nec principium vllum probabant) Gr. *ἄκεφαλος φημι*, hoc est, Acephalos intelligo. Acephalorum autem hæresim, vt iam præcedenti tractatu dixi, Suidas à Seuero ortum traxisse scribit. Ego tamen, cum Damasceno Acephalos cum Monophysitis confundat, ab Eutyche potius ac Dioscuro hæresis authoribus, ac ducibus, quàm à Seuero eorum affecla eam initium duxisse cenfeo. Sed quemadmodum Anomœi, tametsi ab Aëtij schola primùm fluxissent, ab Eunomio tamen huius erroris acerrimo propugnatore, postea Eunomiani dicti sunt: eodem modo Eutythiani à Seuero, qui, vt refert Nicephorus libro 16. cap. 29. *ἀκεφαλός*, hoc est nullius capitis homo dictus est (vnde etiam idem libro 18. cap. 51. eum Multiplicem potius hydram dicendum esse ait) Acephali appellati sunt. 20 ambiguum, vt diximus, voluntas) Sic apertius: voluntas, quæ, vt diximus, ambiguum vocabulum est. 21 aliud id quod) Hæc dilucidius ita verti possunt: aliud aspicere, aliud quiddam ac certo modo aspicere, aliud quod aspectui subiicitur, aliud quod aspiciendi facultate præditum est, aliud aspiciens. 22 velle facere) *πιῖν*, bibere. 23 cum vxore concumbere) Hoc loco in translatione deleui particulam negantem. 24 Vnaquæque enim) Desunt quædam in Latina versione, sic supplenda: Vnaquæque diuinitatis hypostasis vult, & vnaquæque angelorum hypostasis vult, & vnaquæque hominum hypostasis vult. Quod autem, &c. 25 Naturarum autem institutio) Græc. *ἑνωσις*, id est, compositio. 26 ad eam) Legendum, eadem. 27 qui volunt) qui diuerso modo volunt. 28 cum sensu) ad verb. vitalis & rationalis. 29 naturalibus accommodatur) *ἡν ἡρητιμὸν τῆς φύσεως*, id est, ex naturalibus duntaxat pendens. 30 Ita quod etiam ab altera hypostasi separat) Gr. *τὸ οὐκ ἀποτέμνηται τῆς ὑποστάσεως ἀφ' ἑαυτῆς τὸ γνώμεν ἐργάζεσθαι*, id est, Itaque personarum distinctio voluntatis ac sententiæ discrimen efficit. 31 à natura habuerit) Post hæc verba addendum est: eodémque modo nec cernere, nec velle, nisi à natura vim eam, qua cernat, aut velit, acceperit. 32 omnia complectitur) omnia potest. 33 In Deo voluntas) *ἐν θεῷ* non habet Græcum exemplar. 34 omnisque naturæ) Græc. *καὶ πάσης φύσεως ποιητικὴ τε καὶ διοικητικὴ αἴτια*, id est omnis naturæ effectrix ac gubernatrix causa. 35 qua ea continentur, quæ naturam attingunt) *τῆς φύσεως ὄντων ὀρεκτικὴ, καὶ τῆς ὑποστάσεως τῆς φύσεως ὑποστάσεων ὀρεκτικὴ*, id est, quæ ea, quæ naturæ consentanea sunt, appetit, & ea quæ per essentiam naturæ insunt, continet, ac tuetur. 36 hæc naturæ) Hanc naturalem voluntatem ita definiunt: Voluntas naturalis est appetitio cum ratione, &c. 37 & natura peccare non posset) *ἀναμάρτητος* in omnibus his locis non significat peccare non posse, sed peccati labe carere. Hoc enim sensu homo *ἀναμάρτητος* à Deo creatus est, hoc est eiusmodi, vt in eo nulla vitij labe inesset. Vel, si ipsiusmet Damasceni explicationem quaeris, idem *ἀναμάρτητος* conditus esse homo dicitur, quod peccati perpetrationem non in natura, sed in voluntate haberet. Sic enim ipse hanc vocem exponit lib. 2. cap. 12. de Orthodoxa fide. 38 Vt enim omnibus) Hæc sic fortassè clarius verti possunt: Etenim omnes quidem iustitiæ numeros impleuit: cæterùm non ex operibus, nec ex virtute progressum faciebat, sed iam inde à primo vnionis articulo perfectus erat. *ἀλλὰ* enim *εὐσέως* hoc loco idem est, quod *ἁγιάτης*. Hoc enim vult Christum in virtute progressum, hominum more, fecisse: verùm ab ipso vnionis hypostaticæ articulo perfectum fuisse. 39 Etenim si voluntatem humanam) Hæc ex Græco sic emendanda sunt: Nam si voluntatem humanam non assumpsit, perfectus homo non fuit. Si humanam voluntatem non assumpsit, ei, quæ prius in morbum inciderat, medicinam non attulit. 40 Quam sibi ipse non coniunxit) Hæc sic fortassè rectius verti possunt: Quod si eam minimè assumpsit, profectò nec humanam naturam, nam ipsa erat, quæ peccauerat. Si humanam voluntatem non assumpsit, quonam pacto priusquàm cognosceret bonum & malum. 41 dissuadet aut suadet) *ἀπειθεῖ ἢ πείθει*, id est, reicit aut amplectitur. Sic enim hæc Etsiæ verba cap. 7. exponenda sunt. 42 quo tandem modo) In Græco legendum *πᾶς οἱ δύο φύσεις ἕστιν ἡρεῖς ἡ μεταγέλλοις*. 43 actionem) *δύναμις*, vim. 44 Voluntas enim) Sic verto: Voluntas enim nobis insita & innata, à Deo est. 45 ea autem) Adhæc quæ naturam, &c. 46 Itaque velle, Dei lex docet) Lex non docet. 47 An verò voluntas ad naturam referenda est) Sic verto: Voluntas igitur ad naturam pertinet. 48 Sed tempus est) Gr. *καὶ ὥρα σοι λέγει ὡς ἔλογισεν ψυχῶν, ἀλλ' ἄλλοι οὐκ ἔβουλον ἀποσελάσσειν*, id est, atque tempus est, vt Dominum non ratione præditam, sed rationis expertem animam assumpsisse dicas.